



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 3. Vbiq[ue] ferè fungi primo loco Fortunam & Casum; ac proinde
Mundum hunc non esse compositum in securitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

meri potest, accidit. *Quis hoc credat? ubiq₃* armis quiescentibus, cum toto orbe terrarum diffusa securitas sit, Lugdunum, quod ostendebatur in Gallia, queritur. Omnibus fortuna, quos publice afflixit, quod passuri erant, timere permisit. Nulla res magna non aliquod habuit ruine suae spatium. In hac, una nox interfuit, inter urbem maximam, & nullam. Denique diutius illam tibi perysse, quam perijt, narro.

§. III.

Ubiq₃ ferè fungi primo loco Fortunam, & Casum; ac proinde Mundum hunc non esse compositum in securitatem.

Hec omnia Liberalis nostri affectum inclinant, aduersus sua firmum & erectum, nec sine causa concussus est. Inexpectata plus aggrauant. Nouitas adycit calamitatibus pondus: nec quisquam mortalium non magis, quod etiam miratus est, doluit. Ideò nihil nobis improuisum esse debet. In omnia pramittendus est animus: cogitandúm q₃, non quidquid solet, sed quidquid potest fieri. *Quid enim est, quod non fortuna, cum voluit, florentissimo detrahat? quod non eò magis aggrediatur & quatiat, quò speciosius fulget? quid illi arduum quidús difficile est? non una via semper, ne tota*

P 2

qui-

quidem incurrit. Modò nostras in nos manus
 aduocat, modò suis contenta viribus inuenit
 pericula sine auctore, nullum tempus exceptum
 est, in ipsis voluptatibus causa doloris oriuntur.
 Bellum, in media pace, consurgit, & auxilia
 securitatis in metum transeunt, ex amico ini-
 micus, hostis ex socio. In subitas tempestates,
 hibernisq; maiores, agitur æstiuæ tranquillitas
 sine hoste patimur hostilia; & cladis causas, si
 alia deficiunt, nimia sibi felicitas inuenit. In-
 uadit temperatissimos morbus, validissimos
 Phthisis, innocentissimos pœna, secretissimos
 tumultus.

§. IV.

Omnes Fortune ictus, omnes urbium &
 hominum Casus animo esse præ-
 meditandos.

Eligit aliquid noui casus, per quod velut ob-
 litis vires suas ingerat. Quidquid longa series,
 multis laboribus, multa Dei indulgentia stru-
 xit, id vnus dies spargit ac dissipat. Longam
 moram dedit malis properantibus, qui diem dis-
 xit, horam, momentúmque temporis, euertent
 dis imperijs sufficere. Esset aliquod nostra im-
 becillitatis solatium, rerúmque nostrarum,
 tanta celeritate repararentur cuncta, quantum
 finiuntur. Nunc incrementa lentè exeunt, se-
 stina-